

S. IV.

Joannes XXII. vindicatur.

XXVI. H. Adrianus Papa VI. in 4. sent. de ministro confirmans...

Controversia haec, ut §. 1. Indicavi, in Curia Pontificia anno 1333...

XXVII. Dico. Joannes XXII. nunquam assertive docuit, animas Sanctas usque ad supremum Judicii diem visione beatifica Dei non fructuras...

XXVIII. Idem eruitur ex testimonio Magistrorum Parisiensium, qui requisiti super hac questione a Rege, ut suam mentem aperirent...

XXIX. Hoc idem protestatum fuisse Joannem ipsum, testatur Benedictus XII. ejus successor suo diplomate incipiente Benedictus Deus &c.

Ne quis sine iure interpretari possit, nos sensisse aliquid aut sentire, quod Scripturae Sacrae obviet, aut fidei orthodoxae, dicimus, & protestamur...

XXX. Quam declarationem apertius etiam repetivisse lethali infirmitate correptus eidem Benedicti XII. diplomati laudato inserat, ubi haec habet: Ne super illis, qui de animabus purgatis separatis a corporibus &c.

XXXI. Porro si haec non sufficienter, adeatur ejusdem Joannis XXII. Bulla Canonizationis S. Thomae Aquinatis. In ea legitur, Calum credentibus & humilibus patere, a Christo in Calum ascendente reformatum, Animum clausum in se credentibus Ja-

nuam Paradisi. S. Thomam devotissimo, triumphantique mundo, in perpetuas aeternitates receptum in Patria, ejus animam Calum possidere, & in Caelis agnibus positum Deum glorificare...

XXXII. Haec pro veritate dicta sunt. Ceterum est Joannes in eam sententiam propendisset; Quid inde? Quae tunc temporis pro utraque parte libera erat, pro utraque videbatur loqui Scripturae, pro utraque aderant Patres; nihil Ecclesia statuerat...

XXXIII. Respondendum modo est ad id, quod ex Hadriano, & Gerone superius attulimus. Dico ergo primo. Prius credendum esse testimonio ejusdem Pontificis Benedicti XII. ejus successoris, Parisiensis Academiae, nec non Auditorum, quorum meminit supra ex Raynaldo, qui omnes Joanni XXII. fuerunt coevi...

XXXIV. Mitto Calvini de more impudentissimum Calumniam, qui lib. 14. Instit. cap. 7. §. 27. dicit, quod Joannes XXII. palam asseruit, animas esse mortales, unaque cum Corporibus interire usque ad diem resurrectionis, eoque mendaciter testem facit Geronimum, quem falso attulit fuisse Joanni coevum...

QUESTIO III.

De uno Beatifica visionis principio, nempe specie intelligibili.

DUO sunt principia, quae ad Visionem Dei concurrere debent, nempe species, & lumen gloriae. In hac quaestione agemus de specie, actu de lumine in sequenti.

DUBIUM I.

An Beati videant Deum per aliquam speciem creatam.

S. I.

Aliqua proponatur.

NOTO ex libris de anima, ad cognitionem cujusvisque objecti duo requiri. Unum ex parte potentiae, & hoc est virtus ad cognoscendum. Alterum ex parte objecti, quo mediante objectum conjungitur potentiae, & ipsi praesens sitae foecundando illam ad sui cognitionem; ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente, & cognito, ait D. Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 12. inde probans, Verbum esse genitum, quia procedit per intellectum. Ex quo fit, quod cognitio se habeat ad modum cujusdam conceptionis, & partus intentionalis; & quemadmodum in conceptione, & partu naturali duo requiruntur, & virtus feminae ad concipiendum, & parientium, & virtus masculi feminam foecundantis ad foetum: ita, proportione servata, ad cognoscendum requiruntur in potentia virtus, & ulterius objectum, quod vel per se ipsum, vel per suam speciem potentiae conjungatur, eamque foecundet.

II. Noto secundo, necessitatem speciei, vel similitudinis ex eo nati, quod, cum ex una parte, ut fiat cognitio, necesse sit, quod objectum sitatur intra potentiam cognoscentem, unde axiomata: cognitio fit, secundum quod cognitum est in cognoscente, & intellectus intelligendo fit quodammodo omnia: Et ex alia parte saepius contingit, quod objectum nequeat per se ipsum conjungi, & sibi intra potentiam, ut ab ea cognoscatur; vel quia ipsi praesens non est, vel quia, utpote materiale, non potest intra eam ponit secundum substantiam; quae enim dixerit, lapidem, dum cognoscitur, esse secundum suam substantiam in intellectu: ideo necesse est, ut loco sui immittat, & imprimat in potentia suam similitudinem, tanquam sui vicariam: & haec vocamus speciem: cujus munus est objectum praesentare potentiae, ejus vires gerere, sic, ut per illam dicatur objectum intra potentiam poni. Ex quo sequitur, quod, si objectum possit per se ipsum intra potentiam sibi, quia ipsi

intime per suam substantiam praesens, & profus seipso intelligibile, & immateriale, superflua esset omnis species: licet superflua est imago Regis, ubi Rex ipse praesens est, & in se visibilis.

III. Haec doctrinam accepimus ex Divo Thoma 1. parti. quaest. 12. art. 2. in corpore, ubi ait: Ad visionem tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & anima rei visae cum visis. Non enim sit visio in actu, nisi per hoc, quod rei visae quodammodo est in visore. Et in visore quidem appropriatus apparet, quod rei visae non potest esse in visore per suam essentiam, sed solum secundum suam similitudinem. Sicut similitudo lapidis est in actu, per quod sit visio in actu; non tamen ipsa substantia lapidis.

IV. Noto tertio, quod species, seu similitudo objecti duplex est, nimirum impressa, & expressa. Prima est illa quae objectum impimit in potentia, & quae fit illi praesens, foecundando illam ad cognitionem: Quare haec antecedit cognitionem, & est principium illius. Secunda vero, nempe expressa, est Verbum, quod intellectus cognoscendo exprimit intra se, & in quo objectum contemplatur: unde hoc sequitur ad cognitionem, tanquam partus per eam productus. Species impressa est similitudo objecti, ut intelligibilis, & non idem intellecti. Species vero expressa est similitudo objecti in actu secundo intellectu, et tunc terminus intentionis. De utraque in praesenti quaerimus; an Deus per aliquam speciem, seu similitudinem creatam, sive impressam, sive expressam uniatu menti Beatorum; an vero nihil media sui similitudine per seipsum, & per suam essentiam immediate uniatu.

S. II.

Resolvitur de specie impressa, & expressa.

V. DICO primo, Deus uniatu menti Beatorum, eamque expressam impressam foecundat, non per aliquam speciem impressam creatam, sed immediate, uniendo seipsum loco speciei. Est communis inter Theologos, imo, vel altero excepto. Probatur autem sic. Species impressa Deo distincta in Visione Beata superflua est: ergo de factis non datur. Atque, probatur. Species impressa necessaria est, ut supplet defectum objecti, quod per se ipsum nequit uniri, & sibi intra potentiam, vel quia non existit, vel quia non est praesens, vel quia non est per se ipsum proxime intelligibile, quod non profus actuale, ut superius observatum est; sed nullum horum accidit in Deo, qui necessario existit, est intime praesens intellectui beato, & quia actualissimus, est sumus intelligibilis; ergo &c.

Confirmatur. Quia enim lux habet sufficientem praesentiam, unionem, & proportionem respectu oculi, & qualitates sensibiles respectu tactus, dicunt multi, movere praedictos sensus ad sentiendum, absque illa specie, ergo cum Essentia Divina sit intime praesens, unita, & intelligibilis per seipsum, non indiget specie a se distincta, ut uniatu menti beatae.

VI. Dico secundo, Deus etiam per seipsum terminat visionem beatorum, unde Beati vident Deum non formant speciem expressam, neque Verbum. Probatur ut supra. Ideo nos produci- mus Verbum mentis in intellectibus ordinariis, ut in illo intelligamus objectum, quod non est per se ipsum semper unitum, ac praesens in ratione cogniti potentiae; sed Deus est semper praesentissimus etiam in actu secundo nostro intellectu: quod enim non semper a nobis videatur, non est ex defectu actualitatis ejus, sed intellectus nostri, qui non est semper dispositus, & applicatus, ut oportet, ad illum videndum; ergo &c.

S. III.

Solvuntur argumenta.

VII. PRIMO arguitur. Ideo esset superflua species creata ad visionem Beatorum, quia Deus per seipsum potest facere id, quod faceret species; sed haec ratio est nulla; & ergo &c. Minor probatur. Sicut Deus potest facere per seipsum, quod faceret per speciem, ita per seipsum causare potest omnia, quae per causam creatas causantur; sed non per hoc causae creatae superfluae dicuntur, ergo neque species creata.

VIII. Respondetur negando absolutam causalem majoris. Non enim praesens superflua est species creata in visione Dei, quia Deus per seipsum facere potest id, quod faceret species creata; sed quia species unice instituta est, ut supplet vires objecti, & faciat id, quod objectum per seipsum facere nequit. Quando autem aliquid praesens institutum est, ut supplet defectum, vel absentiam alterius, sicut, pro quo supplet, sit praesens, & sufficienter per seipsum fuerit institutum. Ad virtutes causarum secundarum non sunt unice instituta, ut vires gerant Dei; sive ut faciant, quod Deus per seipsum facere non potest, sed se habent, ut virtutes per se in suo ordine operative, ideoque superfluum non est, immo potius convenientis, ut praeter causam primam, quae Deus est, dentur aliae causae secundae in suo ordine causantes, etiam Deus per seipsum totum praestare possit.

IX. Secundo arguitur. Si essentia Divina uniretur intellectui beati per modum speciei, & objecti foecundantis illum, foecundaretur duo incommoda. Primum, quod Essentia Divina induceret rationem formae inherens, vel factum informantis. Secundum, quod Divina Essentia concurreret active ad visionem sui per modum principii quo, & consequenter subordinaretur intellectui, & esset in potentia ad visionem; quia omne principium quo subordinatur principio quod, & est in pot-

ta, & propter operationem, quam producit. Haec autem incommoda sunt; Ergo &c.

X. Respondeo, negando assumptum pro utraque parte. Ad probat. primae nego antecedens. Sicut enim substantia Verbi uniatu humanae naturae ad substituendum, quin illi inheret, aut illam informat, sed solum illam terminando, perficiendo, & trahendo ad esse Personale Divinum; ita Divina Essentia unita intellectui beato, illi nec inheret, nec illum informat, sed illum complet, perficit, & trahit ad esse intelligibile divinum; intellectus enim trahitur ad esse objecti, quod intelligit. Si vero species creata inheret, aut informat intellectum, hoc non habet, quia species est, sed quia creata, & accidentalis est.

Neque sequitur secundum. Ego enim principium quo Physicum subordinatur principio quod, quia ad illius esse trahitur, & propter ipsum datur; principium tamen quo intentionale non subordinatur principio quod physico ex sua ratione, sed ipsum unice movet, perficit, & ad esse intentionale trahit; cumque & moveat motionem propria objecti, non est propter intentionem, sed intellectus est propter ipsum, nec specificatur, sed specificat intentionem, neque in potentia est ad visionem, sed solum intellectus creatus, qui videt Deum, & illa visione perficitur.

XI. Tertio objicitur contra secundam conclusionem. Primo Verbum est similitudo objecti ab intellectu expressa; sed in visione Dei datur haec similitudo; ergo &c. Minor probat. ex 1. Joann. 4. vers. 2. cum apparuerit, similes ei erimus, quia videmus eum, sicuti est. Et ex S. Aug. lib. 9. de Trinit. cap. 11. cum Deum novimus... fit aliqua similitudo Dei illa notitia. Secundo D. Th. 1. p. 2. q. 27. art. 1. probat contra Arianos, & Sabellianos, Deum producere Verbum, hoc dicitur: quicumque intelligit ex hoc ipso, quod intelligit, discit Verbum; sed si Beatus videns Deum non produceret Verbum, ratio D. Th. non convinceret; ergo &c.

XII. Respondetur, neg. min. Ad primam probationem ex Script. dico, quod, cum Deum videmus, similes ei erimus, non quia producimus Verbum expressivum Dei; sed assimilabimur Deo, vel per lumen gloriae, quod est participata similitudo luminis divini, vel quia videndo Deum, habebimus divinam essentiam nobis unitam, vel quia eadem felicitate fruemur, quae ipse fruitur.

Ad S. August. dico, eum ibi loqui de notitia Dei, quam habemus in via, in qua certe Verbum producimus; addit enim, hanc similitudinem esse inferiorem, & inaequalem.

Ad secundam ex Div. Thoma, dico, illam propositionem Quicumque intelligit &c. debere exponi secundum distributionem accommodatam, & pro generibus singulorum, non pro singulis generum; quali dicit, quod in quocumque genere intelligentium, sive in quocumque natura intelligentium, sive creata, sive increata, datur productio Verbi; non vero in quocumque intelligence. Hoc enim satis erat ad convincendos Arianos, & Sabellianos. Immo nec Deus in quocumque intelligence producit Verbum, sed in notionalis tantum, & secunda, qualis est Verbum.

XIII. Quarto objicitur. Omnis actio debet habere terminum; sed terminus visionis est Verbum; ergo &c.

Respondetur, quod estis omnis actio transiens debeat habere terminum a se productum, actio tamen immanens, qualis est visio, non debet necessario habere terminum a se productum, sed fati est, ut habeat terminum sibi unitum, & sic visio Dei habet pro termino Deum sibi in esse cognitum unitum.

Noto tamen, quod haec conclusio locum habet in sententia D. Th. volentis, Verbum esse ab intellectu distinctum, tanquam terminum per eam productum. Si enim loqueretur in sententia aliorum, qui volunt, Verbum esse ipsam intelligence, & sic visionem Dei esse ipsum Verbum Dei representativum, non esset locus negandi Verbum in Visione beata.

DUBIUM II.

An sit possibilis species creata, qua Deum, ut est in se, representet.

S. I.

Ratio Controversiae.

I. QUESTIONEM hanc suso calamo pertractant aliqui, nos tamen eam breviter expedimus; non enim multae utilitatis eam judicamus. Agitur praecipue inter nos, & Scotistas. Controversia autem est eo nata est, quod Scotistae putant, speciem alicujus objecti representativam non debere esse formalem illius similitudinem, sed solum virtualem, nec debere continere intrinsece eadem praedicta, quae sunt in objecto representato, sed solum extrinsece. Ex quo inferunt, quod species, quae representat Deum, ut est in se, & ut cognoscibilem a Beato, esset solum virtualis similitudo Dei, & Deus solum representativus, & extrinsece, cum autem non repugnet, quod aliquid creatum representativus, & extrinsece Deus sit, inde inferunt, non repugnare, ut datur species creata, quae representat Deum, ut est in se.

II. Thomista autem volunt, quod species representativa objecti, ut in se est, debeat esse formalis similitudo objecti, & intrinsece continere naturam objecti, quod representat, ideoque quod species representativa Dei, ut est in se, debeat esse formalis similitudo Dei, & intrinsece continere praedicta quidditativa Dei, & non solum extrinsece. Cumque repugnet, quod aliquid creatum intrinsece continet praedicta divina.



divina, sique formalis similitudo Dei, ut est in se, dicunt, repugnare talem speciem, quae sit creata; & Deum, ut in se est, representet.

S. II.

Refutatio difficultatis.

III. Dico. Non est possibilis species creata, siue impressa, siue expressa, quae Deum, ut est in se, representet. Ita S. Thomas 1. 2. q. 12. art. 2. cujus ratione probatur sic. Illa species representat Deum, ut est in se, & non representat; ergo est impossibilis. Antecedens vero probatur a Div. Thom. ex Dionys. cap. 1. de divinis nominibus. Per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo possunt superiora representari, aut cognosci, ut sunt in se, sicut per speciem corporis non potest representari; aut cognosci res incorporea, ut est in se; sed species creata, quaecumque sit, est essentialiter similitudo rei creatae, quae est inferioris ordinis ad Deum, sicut species corporis est essentialiter similitudo corporis, quod est in inferiori ordine ad spiritum; ergo sicut repugnat, quod per speciem corporis representetur, aut cognoscatur Spiritus, ut est in se; ita, & multo magis, repugnabit, quod per speciem, & similitudinem rei creatae representetur, aut cognoscatur Deus, ut est in se.

IV. Quod si dicatur, speciem illam fore quidem creatam entitative, & intrinsece, fore tamen representative, & extrinsece Deum. Quae, cur etiam non poterit species corporea esse entitative, & intrinsece corporea, & representative, & extrinsece spiritus, ita, ut possit eum, ut est in se, representare? quod si hoc est impossibile, cur non illud? si species corporis sic est similitudo corporis, ut nequeat esse similitudo spiritus, ad eum, ut in se est, cognoscendum; cur species creata non ita erit similitudo creature, ut non possit esse similitudo Dei, ad eum, ut in se est, cognoscendum? V. Secundo probatur ex eodem Sancto Thoma. Omnis similitudo creata habet esse participatum, circumscriptum, & limitatum: Deus autem est ipsum esse, per essentiam, incircumscriptum, & illimitatum: sed esse participatum, circumscriptum, & limitatum non potest esse representatio ipsius esse per essentiam, incircumscriptum, & illimitatum, ut est in se, ergo &c. Minor probatur. Quia enim in essentia finito, & circumscripto, inchoata, & incircumscripta representandi vis nequit convenire: nequit enim inter entitatem, & eius representationem dari infinita distantia.

Confirmo hoc. Qui videret illam speciem, seu similitudinem creatam representantem Deum, ejusque representationem, non videret Deum, ut est in se, quia eum videret, ut representatum in creatura; ergo neque intellectus utens illa specie ad cognoscendum Deum, illum cognosceret, ut est in se, sed ut illa specie creata representatum.

VI. Tertio probatur tam de specie impressa, quam expressa, ratione, quam indicat Sanctus Thomas 1. Contra Gentes, cap. 46. sub hac forma. Species, ut supra vidimus, ad hoc est inchoata, ut si sit impressa, obiectum reddatur actu, & proxime intelligibile: si vero sit expressa, ut per illam reddatur ultimae cognitum, & in actu secundum intellectum; sed repugnat, Deum fieri proxime intelligibilem, & ultimo intellectum per aliquam formam creatam; ergo &c. Minor constat ex supradictis dubio praecedente. Minor probatur. Id, quod est per seipsum intelligibile, immo est ipsa summa intelligibilitas, & illa, quod in linea intellectus seipso est ultima actualitas, repugnat, ut sit intelligibile, & intellectum per aliud; quia enim lux est per seipsum visibilis, repugnat, fieri visibilem per aliud; quia albedo per seipsum est alba repugnat, fieri albam per aliud; & generaliter quod est tale per seipsum, repugnat fieri tale per aliud; sed Deus est per seipsum intelligibilis, & ultimo intellectus, ut pote actualissimus, & nullo modo in potentia; ergo &c.

VII. Urgetur magis. Eadem est ratio proportionaliter de intelligibilitate, ac de intellectualitate, & entitate; sed quia Deus est per seipsum primum intelligens, & primum ens, immo ipsum esse, non potest fieri, nec actu, nec proxime intelligens, aut existens per aliud a se; ergo a pari, quia est primum, & per se intelligibile, & intellectum, non poterit fieri intelligibilis, & intellectus per aliud a se.

VIII. Dices, argumentum hoc probare quidem, essentiam divinam non posse fieri intelligibilem, & intellectam a Divino intellectu per aliquam formam, aut speciem distinctam: non tamen, quod non possit fieri intelligibilis, & intellectus ab intellectu creato per aliquam distinctam a se, ratione excessus, quem habet supra illum, ut nimirum illi proportionetur, & coaequetur.

IX. Sed contra. Non primo hoc probaret, non solum possibilem, sed necessariam speciem creatam in visione beata, si haec requiretur ad proportionandam divinam intelligibilitatem cum intellectu creato: quod tamen Scotus non asseruit, qui admittunt, Deum de facto videri absque ulla specie creata.

Secundo. Quod aliquod obiectum ratione sua excellens sit in proportionatum eum potentia, non arguit, esse addendum aliquid obiecto, quo ejus excellens intelligibilitas attemperetur, sed esse ponendum aliquid in potentia, quo confortetur, & ad ejus cognitionem elevetur: Sicut ex eo, quod Sol ratione sua lucis non sequitur, ponendum esse aliquid in Sole, quo fiat oculo nocturnae attemperetur, sed debere poni in oculo nocturnae virtutem

& efficaciam, qua roboretur, & fiat potens videre Solem. Ergo ex eo, quod Deus sit obiectum excedens, & in proportionatum cum intellectu creato, non sequitur, debere per aliquam speciem creatam ei proportionari, sed potius creatum intellectum debere per lumen elevari, ut Deum videre possit. Et ratio est, quia species datur ad supplendum defectum obiecti, non potentiae. Cujus exemplum habemus in substantia divina, quae, licet sit excedens in performando naturam humanam, nullus unquam dixit, debere addi ex parte substantiae divinae, quo proportionetur, sed solum ex parte naturae humanae, quod elevetur.

X. Tandem probatur. Quando Deus absque ulla repugnancia potest aliquid efficere media causa secunda, id naturalius efficit per illam, quam per seipsum solum: sicut, licet in sententia Scotistarum possit Deus se solo sine lumine gloriae creato concurrere ad visionem beatam, conaturalis tamen concurret cum lumine, quam sine illo, ideoque de facto concurret medio lumine creato. Ergo si absque repugnancia Deus concurrere possit ad visionem sui media specie creata, conaturalis concurret per illam, quam sine illa, & de facto per illam concurreret. Hoc autem Scotus non admittit, ut dubio procedente vidimus. Ergo scilicet est, quod non debet esse infinita: sicut enim conaturalis complectitur species creata repugnat. Si enim conaturalis complectitur potentia per lumen intrinsecum, quod se tenet ex parte potentiae: cur conaturalis non complectitur etiam per speciem intrinsecam, est illa se tenet ex parte obiecti? Certe effectus, qui praestabilis est per causas secundas, conaturalis habetur per illas, quam sine illis. Sed haec fatis.

S. III.

Solvuntur argumenta contraria.

XI. Obijciunt primo. Species creata representativa Dei in se ideo repugnat, quia deberet esse infinita sicut Deus, & in eodem gradu immaterialitatis cum illo; sed hoc non sequitur: ergo &c. Minor probatur. Lumen gloriae, & visio beata, ut Deum pro ut est in se attingant, sufficit, ut sint infinita extrinsece, & terminata, non vero substantialiter, & intrinsece; ergo ut species creata representaret Deum ut est in se, satis esset, ut esset infinita representativa, & extrinsece, non substantialiter, & intrinsece.

XII. Respondeo, neg. min. ad prob. conc. antec. & nego consequ. Et disparitas est, quia lumen gloriae, & visio Dei se tenent ex parte potentiae: lumen, ut eam elevat ad visionem, visio autem, ut actus, quo potentia vitaliter percipit Deum, ut est in se: unde sequi debent naturam potentiae, quae videndo Deum non fit Deus, nisi extrinsece, sicut oculus videndo colores non fit color, nisi extrinsece. At species impressa siue expressa se tenent ex parte obiecti, tamquam similitudo ejus, quae in visione intuitiva talis esse debet, ut verificetur, per illam obiectum, ut reversa in se est, poni intra potentiam, ac si intra ipsam obiectum per suam substantiam poneretur: ideoque non extrinsece tantum, sed intrinsece debet praedicari eodem, quae obiectum habet in se, continere. Cum vero nulla similitudo creata, utpote participata, possit perfecte continere, neque representare, Deum, ut in se est, sed solum Deum, ut a creatura participabilem: ideo non potest esse similitudo Dei, ut requiritur ad visionem intuitivam; sicut, quia similitudo corporis non est similitudo spiritus, ut in se est, non potest representare spiritum, ut in se est, sed spiritum ad modum corporis. Quare videns Deum per speciem creatam, videret Deum, non sicut ad faciem, sed per speculum in enigmate; quia, ut ait S. August. lib. 15. de Trinitate cap. 9. Speculi, & enigmati nominis quaecumque similitudines ab Apostolo significari intelligi possunt, quae accommodata sunt ad intelligendum Deum.

Obijciunt secundo. Falsum est, quod species inferioris ordinis non possit quidditative representare rem ordinis superioris; ergo &c. Antecedens probatur. Species accidentalis est inferioris ordinis ad substantiam; & tamen species accidentalis potest representare substantiam: nam species representativa substantiae accidens est.

XIII. Responderi potest, omisso antec. nego. consequentiam, & suppositum consequentiam. Non enim probavimus, impossibilitatem speciei representantis Deum, ut est in se, ex eo, quod species inferioris ordinis non possit representare rem ordinis superioris; sed ex hoc, quod per speciem rei inferioris ordinis non potest representari res ordinis superioris, sicut per speciem corporis non potest representari spiritus.

Unde retroquo argumentum sic. Elio species accidentalis potest representari substantiam, haec tamen non potest representari per speciem accidentis; sed omnis species creata est essentialiter species quidditative rei creatae, ut probatum est; ergo nulla species creata potest Deum quidditative representare.

XIV. Respondeo secundo, distin. antec. Inferioris ordinis solum in esse entitativo, concedo antecedens, quae sit inferioris ordinis tam in esse entitativo, quam representativo; nego antec. potest autem species in esse entitativo esse ordinis inferioris, quo tamen in esse representativo tantae rei actualitatis, ut rem ordinis superioris potest representare: & hujusmodi est species representativa substantiae.

XV. Sed statim urgent. Species, quae in esse entitativo est accidens, potest esse in esse representativo substantia; ergo species, quae in esse entitativo est creata, poterit esse increata, divina, & infinita in esse representativo.

XVI. Respondeo, neg. consequentiam, sumptam pro representatione Dei quidditative, & ut in se est. Et disparitas

(inter

(inter multas) haec est. Nam representatio substantiae ex identitate cum ente accidentaliter non inficitur, quia secundum suum esse formale representativum praescindit, & manet immutabile ab inchoata. At representatio Dei in se ex unione, immo identitate cum ente creato, non est amplius divina, ut requiritur ad representandum Deum in se: etenim talis representatio Dei in se formaliter exprimeret dependentiam a Deo, ut a prototypos, & causa formalis exemplari: quod sane repugnat Deo in se, etiam ut representato. Ex quo infertur, quod, cum species substantiae, estis accidentaliter, non deserat secum praedictum repugnans substantiam in esse representativo, potest esse in tali genere substantiae, cumque quidditative representare. At species creata Dei, cum in esse representativo explicite praedictum repugnans Deo in se, nimirum dependentiam a Deo, ut prototypos, non potest esse in esse representativo Deum in se, nec ipsam quidditative representare.

XVII. Obijciunt tertio. Illa species creata representativa Dei in se non fore infinita; ergo est possibilis. Ant. prob. primo. Ad effectum finitum non requiritur virtus infinita; sed species datur ad visionem beatam, quae est finita, ergo non debet esse infinita: sicut haec ratione nec lumen gloriae est infinitum.

Secundo. Id praestaret praesta species, quod modo praestat essentia divina unita per modum speciei; sed essentia divina non praestat effectum infinitum, cum finito modo uniat; ergo neque species illa.

Tertio. Possibilis est species quidditative Dei, quae non sit comprehensiva, cum Deo libere talem speciem producat; sed species quidditative Dei, & non comprehensiva, non est infinita: sicut haec ratione non est infinita visio Dei quidditative; ergo &c.

XVIII. Respondetur, negando antec. Ad primam prob. dico, eam pati evidentem instantiam in Angelo, qui est effectus finitus, & tamen petit ad sui productionem virtutem infinitam, nempe creativam. Deinde dico, quod esto major vera sit de virtute se tenentis ex parte potentiae, quae proportionatur eum illa, quae est lumen gloriae, non tamen de virtute se tenentis ex parte obiecti: haec enim unice commensuratur cum illo, ejus est formalis similitudo; ideoque, si hoc est infinitum, cujus virtus debet esse infinita.

Ad secundam distin. min. essentia divina non praestat effectum infinitum, defectu sui, neg. min. defectu capacitatis luminis, & potentiae, conc. min. Si illa species creata praestet id, quod modo praestat essentia divina, sicut essentia divina secundum se potens est praestare effectum infinitum, & parere cognitionem infinitam, nisi obstat incapacitas luminis; ita species illa creata deberet esse potens praestare effectum infinitum, licet non praestaret ob eundem defectum.

Ad tertiam nego majorem; species enim representans quidditative Deum, ut est in se, debet omnia, quae sunt de quidditate Dei, & representare, & consequenter omnia praedicata tum formalia, tum eminentialia. Uno verbo. Debet Deum comprehendere, & circumscribere sui representatione, nec Deus, si vellet, eam esse speciem sui quidditative, possit oppositum velle. Neque est simile de Visione Dei: haec enim cum se tenet ex parte potentiae, & sic attingentia obiecti, sequitur conditionem, & virtutem potentiae; at species se tenet ex parte obiecti, ut formalis similitudo ejus, ut in se, ideoque omnia, quae sunt in eo, debet representare, alias esset, & non esset ejus quidditative similitudo.

XIX. Quarto obijciunt. In quocumque ordine possibilis est operatio, sunt possibilis operationis principia; sed in ordine creato possibilis est visio Dei; ergo in eodem ordine possibilis sunt principia visionis Dei, quorum unum est species.

XX. Confirmatur primo. Omnis potentia sufficienter disposita ad aliquam cognitionem petit conaturaliter aliquam speciem impressam; ergo cum intellectus lumine gloriae perfusus sit sufficienter dispositus ad visionem Dei, conaturaliter petit aliquam speciem impressam, sed non essentiam: haec enim soli divino intellectui conaturalis est; ergo species creata.

XXI. Confirmatur secundo. Essentia divina supplet vices speciei creatae; sed quod est impossibile, nequit suppleri; ergo &c.

XXII. Confirmatur tertio. Operationes Christi possunt esse finite in genere physico, & infinite in genere moris: cur ergo non poterit species illa esse finita in genere entis, & infinita in esse representativo?

XXIII. Demum, si species naturalis elevari potest ad representanda obiecta supernaturalia, ut patet in speciebus, quae servantur fidelis: cur non poterit species creata elevari ad representandum Deum, ut in se est?

XXIV. Respondeo, neg. absolute maj. Potest enim esse species repugnancia in uno compingitio, quae non fit in alio, sicut species repugnancia est, ne detur substantia supernaturalis; quae non datur in accidente supernaturali. Sicut ergo non valet: in ordine supernaturali datur accidentia; ergo datur etiam substantia creata. Ita non valet: In ordine ad visionem datur lumen creatum; ergo potest dari species creata: quia circa hanc specialis est repugnancia, ut dictum est, quae non militat de lumine gloriae.

XXV. Ad primam confeg. dico primo, eam nimis probare: si enim intellectus perfusus lumine gloriae conaturaliter petit videre Deum per speciem creatam, sequitur, quod Deum de facto videt per eam, sicut de facto videt eam per lumen sibi intrinsecum, quia hoc illi est conaturale.

Deinde dico, potentiam sufficienter dispositam ad visionem petere aliquam speciem impressam possibilem; species

Gotti Theol. Tom. I.

autem creata ad visionem Dei est impossibilis. Sicut enim non valet: Omne accidens petit subijctum sibi conaturale; ergo accidens supernaturalis petit subijctum supernaturale: quia hoc est impossibile. Ita non valet in causa. Neque etiam sequitur, quod intellectus lumine gloriae perfusus conaturaliter (absolute, & proprie loquendo) petit divinam essentiam sibi uniri per modum speciei: sic enim solus intellectus divinus eam conaturaliter petit; sed solum lato modo, & ex suppositione elevationis. Sicut enim, teste D. Th. 1. part. 2. q. 12. art. 4. & 2. part. 2. q. 9. art. 4. scientia beata absolute sibi Deo conaturalis est: ita ei soli absolute, & proprie conaturalis est species tali scientia deserviens.

XXVI. Ad secundam confeg. dico, eam equivocatione laborare. Dum enim dicimus, quod essentia divina supplet munus speciei, non fit sensus, quod suppleat vices alterius speciei, quae esset, sicut substantia Verbi supplet vices substantiae creatae, quae esset in natura humana, nisi loco ejus interret substituta divina; sed potius, quod, cum sit impossibilis species ab ipsa distincta, essentia divina per se ipsam facit, quod alia obiecta per speciem accidentalem, & distinctam praestant.

XXVII. Ad tertiam confeg. dico, latum esse discrimen inter speciem creatam, & operationes Christi. Nam valor moralis esse habet entitatem actionis pro subiecto, ab ea tamen, ut a prima radice non sumitur, sed unica Persona, quae est forma operationis dignificans; quae cum in Christo sit infinita, in eas infinitum valorem refundit. At esse intelligibile, seu representativum taliter identificatur cum entitate, ut immaterialitas, ut, si immaterialitas finita est, non possit representatio esse simpliciter infinita.

XXVIII. Ad ultimam dico, species naturales elevari quidem posse ad representanda mysteria supernaturalia, quoad an esse, non tamen quoad quid est, siue quidditative unde requiritur potest argumentum sic. Species naturalis esse elevari quoad praesentandum ens supernaturalis, quoad an esse, non tamen quoad quid est, ergo species creata esse elevari possit ad representandum Deum quoad an esse, non tamen quoad quid est, & in se. Sed haec fatis.

QUESTIO IV.

De lumine gloriae.

Alterum Visionis Dei principium est Lumen Gloriae elevans intellectum ad clarum Dei visionem. De hoc quare existantiam, possibilitatem, influxum &c.

DUBIUM I.

An intellectus creatus ad videndum Deum aliquo creatum lumine indigeat.

S. I.

Quid nomine Luminis Gloriae intelligatur.

I. NOME Luminis Gloriae intelligitur virtus quadam creata supernaturalis a Deo in intellectu derivata (sive per modum habitus, & permanentis, ut in Beato, qui permanentem Deum videt; sive per modum auxilii transeuntis, ut in iis, quos supra probabiliter ostendimus rapto fuisse ad videndum Deum transeuntem) ratione cujus fit potens elicere visionem, & ultimo disponitur ad unionem cum essentia divina per modum speciei impressae.

II. Hinc infero primo, nomine luminis gloriae non intelligi ipsam visionem Dei. Nam, ut dicimus ex Concilio Viennensi, lumen gloriae est aliquid elevans intellectum ad visionem; sed visio non potest elevare intellectum ad visionem, id est ad se ipsam; ergo &c. Tum etiam, quia id a Concilio Viennensi dicitur, quod Beguardi negabant; sed illi non negabant visionem, immo ad illam habendam necessarium non esse lumen, asserbant; ergo Concilium supponit, lumen esse aliud quid praeter visionem. Sic Ecclesia determinans contra Pelagium, gratiam esse necessariam ad actus supernaturales, & meritorios, nomine gratiae non intelligit ipsos actus supernaturales, quia hi admittentur a Pelagio, qui tamen gratiae necessitatem negabat: sed intelligit virtutem elevantem animam, sui potentiam ad tales actus.

III. Infero secundo, nomine luminis gloriae non intelligi concursum simultaneum, quo Deus cum Creatura concurrat ad visionem sui. Nam juxta hujus sententiam Patrum, concursus simultaneus Dei ad visionem nihil aliud est, quam ipsa visio, ut pendens a Deo, ergo sicut indatum Concilium per lumen gloriae non intelligit ipsam visionem, ita neque intelligit concursum Dei simultaneum ad ipsam. Eo vel maxime, quod concursus simultaneus non elevat animam ad videndum Deum, sed supposita potentia jam elevata, & jam habente vires ad videndum Deum, cum illa producit visionem; at Concilium nomine luminis gloriae intelligit aliquid elevans, & dans intellectui sufficientiam, & vigorem ad videndum Deum; ergo nomine luminis non intelligit concursum simultaneum.

IV. Infero tertio, nomine luminis gloriae non intelligi essentiam divinam generem manus speciei impressae. Nam primo. Species obiecti non elevat potentiam, sed uniri potentiae jam elevatae, & habenti vires ad cognoscendum obiectum; sed lumen gloriae supponitur a Concilio elevans; ergo &c. Secundo. Beguardi non negabant, divinam essentiam uniri per modum speciei cum anima, immo asserbant, animam esse sua natura in hac vita uniri divinae essentiae per modum speciei; & tamen

I 4